



Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 1. Virtutes vitiorum deformitate spectata, illustriores apparere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](#)

CAPUT III.

LVXVRIA QVANTVM SIT
MALVM, ET QVANTORVM MA-
LORVM CAVSSA, PVELLÆ, ET
VIDVÆ HISTORIA, DO-
GETVR.



*Ad omne caput uiræ ædificasti signum prostitutionis tuae. Ezech. 16.
25.*

PARS PRIMA.

NOBILIORES, in Gallia, fæminæ quædam; cùm in publicum etiam procedunt, nigram fronti, vel genis plagulam agglutinant, quam quidam Germanus nunc de fronte in maxillas, aliàs de

G 3

I.
VIRTV-
TES VI-
TIORVM
DEFORMI-
TATE SPE-
CTATA,

maxil-

ILLVSTRI- maxillis in frontem magnæ heroidis migrasse
 ORES AP- conspicatus, interrogauit, quid illa, vel vul-
 PARERE. neris, vel vlceris tam vagi plagula tegeret?
 aut cur hodie vlcus velatum aliam, quām he-
 ri, stationem haberet? Responsum est, sple-
 nijs quidem veterum litteris inscriptas fron-
 tes fuisse vestitas, alium autem esse morem
 harum seminarum; quæ plagulam illam, non
 tanquam cataplasma vultui affigant; sed vt
 atro eius colore niueæ cutis commendent ve-
 nustatem. Hinc à gynæceo *muscam pulchri-*
tudinis appellari. Quod etiam multæ è nostra-
 tibus fæminis faciunt, dum rallam tæniam
 capiti imponunt, vel collo circumPLICANT, vt
 (sicut in scacchorum ludo *rex ater in albo, &*
albus in atro) magis, de ipsa contrarietate,
 in oculos incurvant. Hoc agunt fæminæ eti-
 am illæ, quæ ita nigræ sunt, vt, etsi è camino
 prospicerent, tamen in Mauritania natæ vi-
 derentur. Utuntur, cum fructu & laude, si-
 mili artificio SS. litteræ, SS. PP. & morales
 Philosophi, quin & omnes scholæ Theolo-
 gorum; dum enim volunt virtutes docere,
 vitia illis opposita proponunt consideranda.
 Quin & ipsorum hominum virtute prædito-
 rum dignitas clarius euadit, si iuxta ponatur
 indignitas flagitosorum. Quo pacto & Spar-
 tanis

tani olim, vt sobrietatem suaderent, ebrij hominis absurditates in theatrum produxerunt. Tantò igitur augustissimæ Dei Matris, D. D. Theclæ, Cæciliæ, Catharinæ, Barbaræ, Vrsulæ ac sociarum, aliarumque Dei sponsarum illibata virginitas; & iuuenum, puerarumque nunc purissimè viuentium castitas amabilior, honoréque & gloria ac aureolâ dignior esse censebitur, quantò, in vno, alteroue exemplo, luxuria (quæ teste S. Thoma, est *appetitus inordinatus venerorum*) maiorem infamiam, pœnamque commererri ostendetur. Apposite enim hæc cum auaritia oppugnatur, quia vel authore Ethnico, hæc *dna res sunt, qua maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia*: sape etiam se trahunt opes & voluptates, estque magna vitijs & diuitijs affinitas. Quod & Poëta indicat illis versibus:

Admonui quoties, auro ne pollue formam, Tibullus.
Sape solent auro multa subesse mala. cl. 9.

Quanquam verò opulentí maiorem habeant ad luxuriandum occasionem, tamen nec pauperes sunt ab hoc vitio immunes, inter quos ipsos etiam plures Adonides, quām Hippolyti reperiuntur. Vtrisque ergo exemplum narro.

G 4

Tem-

S. Thom.

2. 2. q. 153.

3. 1.

Author

ad Herenn.

l. 2.